



ist. Pruss.

23.

400.

Hist. Insf. 46.

DE
TITULO
REGALI,
In Prusiam recenter

Invecto
Solidi Poloni Judicium.

ANNO M DCCI.

2

THE OLD

THE NEW

THE NEW

THE NEW

THE NEW

THE NEW



Antiquus Sarmata sum. Veteris ævi & sinceri re-
fiduum. Non me male suada fames, non tur-
pis egestas urget. Nec Sacra Libido Nummi ex-
tero ulli Principi mancipavit.

Fidem Sacræ DEO & Patriæ fidum Caput, atque Jura-
tum. Hujus me unus amor agit, pro qua jucundum arbitror ex-
trema pati, & dulce mori.

Liberè igitur loquar & candide; quia fidus & amans loquar.
Ita decet in Libera & candida natum gente, cui nuda & simplex
veritas placet; non quia formosior, sine fuce ac sine velamine:
Sed quia detecta candidior ac verecundior omni etiam aureâ fece
defecatissima.

Quid agimus Poloni! quo ruimus gregatim cœco mali fati
impetu rapti, Nullâ ratione ducti, Nullitima? Quæ nos agitant
consternantque meridiana spectra, in nihilo? quæ nos terrent
phantasmata prorsus imaginaria? qui motus animorum incom-
positi, atque nos invicem fallendi conspiratio tanta?

Si Rem æquâ lance pendimus, in Prutenicâ Coronatione,
Contra quam, latranti Socio, Causam ignorantes, adlatramus
omnes, quasi fatale Palladium Sarmatis ereptum fuerit, fatebimur
Epidemicâ nos errandi Luce laborare, inaniter territos. Pudebit
in morfu pulicis, imo in nullius pulicis morfu, Jovem invocasse,
Cœlum, Terras & Acheronta movisse.

An stare nequibit Polona Majestas, stante Coronâ Brande-
burgicæ Prussiæ? & Prutenico vertice Coronato? An contremiscet
Terra Sarmatica, ac plusquam Siculo hians motu, Susdeque ver-
tetur, quia Regnat, non Regit in Prussiâ Brandenburgicus? Im-
perabat nuper Supremo Jure ut Dux. Nunc Imperat eodem Jure
ut Rex. Nil nisi Titulus novus, & novum Capitis jubar inve-
ctum. Autoritas cœteroqui eadem. Independentia eadem.
Sceptri prærogativa eadem: ac liberè dominandi prisca & immu-
rata potestas.

Quid inde? An ideò vibrare frameam, nec priùs librare lan-
ces debebit irata Themis Astro percita, fatidicoque Enthusiasmate
agitata? Nemesim compesce Astræa Polona, si qua redux in Ter-
ras.

ras. Stabit Sarmaticum Jus integrum. Æternùmque stabit Lechiæ
Suprema gloria, atque intaminatis illæsa fulgebit honoribus, etiam
Brandenburgico Coronato.

Extollat (Quid Nostrâ interest? Quid Nobis officit?) excel-
sum caput; Æqualis Astris incedat. Attollat etiam Persicam, si
Diis placet, Thyram & Cydarim. Quid nobis indè peribit? aut
minuetur?

Numerum auxit Regum. Nobis detraxit nihil. Credite
Sodales. Polonicæ Magnanimitatis est, alieno bono non succen-
sere, sed suffragari. Sordidum reputamus veri Poloni ac prorsus
Indignum, aliis invidere quamdiu minimè nocent. Neque Ocu-
lus Noster malus esse debet, quia fata Amico Regi bona fuere,
atque propitia.

Imò nostrum est decus, ac Magnum Polonæ gloriæ incre-
mentum, si benè sapiamus nobis, Regnare Brandeburgicum, &
Regem Prussiæ appellari, non Ducem.

A nobis quippe habet quod regnet, cum à nobis habuerit
quod sit Supremus. Ideoque & Nostra Sarmatia modestè gloriari
poterit, post Divinam Sapientiam, de qua dicitur: Per me Reges
Regnant.

Ità est Poloni. Creavimus Regem, quando in Bydgosstien-
sibus Pactis declaravimus Independentem Dominum Prussiæ, peni-
tus absolutum omni Clientelari obsequio, & in suâ Prussiâ cum suis
posteris omnino Supremum. Rex est reipsâ, quocunque vocabulo
appelletur, quicumque neminem suprâ se agnoscit, nisi solum
Deum; dummodo Majestatem firmet Potentia, & Numerus Pro-
vinciarum; Potentiam alant opes, atque illustrent Suppares Regi,
& populorum acclamet assensus.

Jam erat Rex, priusquam Rex esset, ac nuncuparetur. Hunc
Amplitudo Provinciarum, ab ultimo fere, Baltico ad Germani-
cum Oceanum, quæ totum propemodum secant Imperium, Po-
tentissimis æquarat Regibus.

Hunc præclara merita servatæ difficillimis temporibus, inter
rot clades atque discrimina Reipublicæ, volente, suffragante, ad-
stipulante Poloniâ, Spondentibus Coronarum Arbitris, seu Media-
toribus, evexerant ad Supremi Prussiæ Dominatus Culmen atque
fastigium. Opus ergo manuum Nostrarum est quæcunque in illo
Majestas Pruteno Regia nitet.

Nobis debet quod Prussiæ populi, laudabili plausu atque Con-
sensu dixerint Regem; Cum nobis debeant populi, quod subje-
ctionis nostræ vinculo absoluti, potuerint dicere Regem. Itâ Galli,
Bri-

Britanni, Teutones, Saxones, Cimbri, Boii & alii, excusso Romanorum jugo, Reges suos nuncupaverunt Dominos, quia Supremos, parique potentia & Opibus nixos, quibus stare posset atque fulgere Majestas.

Si Danos, etiam Suecos, Vandalos, Gothos, Norvegios, Iberos, Allobroges aliosque consulere placuerit, sola illorum supremâ potestate, viribus, opibus ac populorum nutu creatos Reges, reperiemus.

Atq; adeo frustra bilem cieri, Nobis, si Brandeburgicus sese in Regem suæ Prussiæ attollat, cui Majores Potentiam, populi assensum, Polonia volens, Supremi Domini decus atque Authoritatem omnimodam donavere.

Quod si obstinata errandi prurigne, atque rixandi insanabili Caccete, cum gloriari possimus, ac debeamus triumphare, de Gloria Prutenorum, lugere malimus, lubetque damnare potius quam approbare; accusanda est dura Conditio, fatalisque necessitas Bydgoſtensis, quæ magnum Nos inter atque Prutenos interposuit Chaos: Prorsus ut nullam falcem possit Polonus in Prusiam, neque Prutenus in Poloniam, Supremo, ullove jure immittere, sicut neq; Gallus in Sarmatiam; Neque Sarmata in Galliam; aut toto divisus Orbe Brittannus, in Germaniam, atque Italiam.

Neque huic Summo Prussiæ Brandeburgicæ Imperio, ullatenus officiunt Butoviensis & Leoburgensis Dynastiæ, fiduciariò Jure atque Clientelari à Brandeburgico possessæ, Polonisque obnoxia, quippe nihil illis commune cum Prussiâ, cujus Supremo Dominio valediximus, & quæ Supremum unicè agnoscit Brandeburgicum.

Itâ prorsus nec Pomerania Sueca, nec Rûgia, neque Vismaria, neque Bremensis Provincia, neque Verdensis, omnes Imperio ac Cæsari feudali Jure obnoxia atque à Suecorum Rege occupata, quidquam obsunt Regali atque Supremo ejusdem Monarchæ Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Imperio.

Ita Supremus est Daniæ atque Norvegiæ Rex Danus; licet Holfatiæ, Oldenburgi, aliarumq; ditionum ratione Cæsaris atque Imperii feudatarium atque Vasallum sese agnoscat. Itâ, ut reliquos taceam, Hispaniarum ac Indiarum Monarcha Supremus est, & absolutissimus; quantumvis ratione Neapolis atque Siciliæ, Summum Dominum veneretur Pontificem Maximum, & ratione Mediolani fiduciarium se Cæsaris fateatur.

Tunc sanè exclamare atque astra questibus tundere debuissimus, ô Sarmatæ, si fata dedissent, quando Corporibus continuis semper doloriferâ separatione, Polono Imperio, volente Poloniâ,

B

publi-

publicis tabulis, est avulsum Supremum in Prussiam Jus desitque Borussia Polonam Vistulam adorare.

At modo cum nobis Borussia periit, ut quid lugemus irreparabile damnum, donec superstes erit Familia Brandeburgica? Ut quid aerem verberamus querelis? & Lacrimas in mortario tundimus?

Sed novus est atque exoticus, inquiet aliquis, Regius iste Prussiae Titulus. Esto. Quid ad nos? Quid nobis cum Prussia Brandeburgica, Regia durante stirpe? An novum est Supremis Dominis novum quid agere? An novum non fuit Sabauda Principi, ad pares Regibus honores assurgere? Medicus, Magnorum Ducum titulum assumere? Et nunc iisdem, ac Lotharingo, Regiam Celsitudinem affectare? Novum etiam fuit nos abdicare Supremo Dominio Prussiae. Novo huic à nobis invento, novum aliud Brandeburgicum imputemus. Tota hisce novitatibus pullulante Europa.

Novum fuit profecto Polono Regi, formosae Borussiae dare repudium. Fortunae crimen in illo fuit, ac temporum injuria. Sed Brandeburgici meritum; quod talis illi cesserit Argenti, praemium optima nobis navatae Operae, in illo rerum articulo, quo premebatur Poloniae jugulum à Suecis, & Urfa borealis illam in frustra discerpebat. Sane Brandeburgico, nulla novitatis nota debet inuri. Si sponsam quam sponte dedimus, ornat Diademate; Juxta illud, Aquam qui bibis, puteum Corona. An novum est, si Dominus fundi in illo serat, aret, & occet pro lubitu? Si in illo metat, & colligat? Si laureas inde decerpat, atque Corollas? aut quis illi succenseat, si Inscripti Nomina Regum, in illius horto, nascantur flores?

Arduum equidem est, inquit Cassiodorus, Novis Authoritatem dare, vetustis Novitatem. Ideoque laudabile. Cur ergo illaudabitur Brandeburgicus, qui citra ullius injuriam, sed suo, & gentium antiquissimo Jure, Diadema sibi conflavit?

Quanquam nec novitatis insimulari potest Corona Prutenica, si Brandeburgicae Prussiae, Annales perlegimus: Suos quippe Reges habuit, transactis Seculis, Regalis potensque Regio, quam vastitas soli atque feracitas, Numerus populi, Frequentia selecta Nobilium, Procerum splendor & Virtus, Urbes, Commercia, Portus, Opes Civium, Arces, terraque Marique potentem & parem Regno declaravere, nihilque cedentem Navarrae, Scotiae, Siciliae, atque Sardiniae: Quam ipsa Civitas Regiomonti paucis Europae Secunda primariis, vel ipso Nomine, Regum olim sedem fuisse indicat. Quam denique in plures Provincias distinctam, & totidem

dem

dem Regna, totidem etiam Regibus diu floruisse constat, quos hic pigeat recensere; Cùm vel mediocriter in Historiâ versatis, ne dicam Lippis atque tonsoribus, satis superque innotescant.

Nil ergo novi, si vera loqui fas est, præstitit Brandenburgicus, quod illi zolus imputet. Sed suam genti Majestatem reddidit, ac redivivam diu latentem è latebris Coronam eruit: Priscam gloriam vindicavit. Fodinam auream aperuit, Thesaurum effodit intra proprii fundi viscera, quem prædecessorum vel ignoraverat inscitia, vel neglexerat incuria, aliquando ad Polonos, si superis placuerit, rediturum, quod neque Momus vitio vertat. Sed sapiens quisque & Amans Poloniæ, insigni merito apud Rempubli- cam ducat. Uno verbo diu deperditum Diadema, illiusque ful- gorem, inter bellorum flammæ, ac proprios cineres, velut extin- ctum, tanquam Prussiæ Phœnicem, feliciter excitavit; Non solum suâ; Sed etiam Nostrâ non mediocri gloriâ & emolumento, qui- bus servata est prærogativa Devolutionis atque Caducitatis. Atque hic vos volo, Cives optimi, quicumque veri cultores estis, & æqui honestique Sectatores. Fatetur Brandenburgicus Vestrum esse Jus Caducitatis, in Supremum suæ Prussiæ Dominium; ultròque novis reversalibus, atque Authenticâ iterùm Declaratione profitetur so- lemnissimè, juxtâ tenorem Bydgosstiensis, extinctâ stirpe Regnan- te, in pristinum jus redintegrandum omninò Poloniam.

Quid ultrâ querimus, aut querere possumus? An ideò con- cludere valebit, ex hoc antecedente ultrò concessio, Redibit ad Rempublicam suum Jus, si familia Regalis peribit. Ergo jam rediit, superstite florenteque familia? Ergo de factò redivivum est, ad- huc viventibus Brandenburgicis, priscum Poloniæ Jus? Quis ita stoli- dè concludat Dialecticus Tyro?

Quis Pseudopoliticus ità malè honori Nostro apud exteros, omninò ridendus, consulat, ut præsens habeat pro futuro? & qui- dem contingentissimo, quod fortassis eveniet Nunquam?

Non sinè rubore, Polonus Solidus audio, ab aliquot ex Nostro sinu jactitari levissimè, Brandenburgicum esse actu Vasallum Reipu- blicæ, quia Jus reversionis, ad Supremum Prussiæ Dominium, si fa- milia perierit Brandenburgica, est Reipublicæ reservatum?

Ideoque nequire Brandenburgicum suo Vertici Coronam im- ponere, suoque & gentium Jure Supremo gaudere: Pudeat, pu- deat ità Philosophari, ne dicam desipere. Sed in re tam clarâ, ra- tiones quærere, me potius pudeat; hoc enim est Velle Nescire.

Vocatur ad Successionem Hispanicam, Testamento Caroli Secundi, ac substituitur Andegavensi Regnanti, ejusdemque stirpi,
Biru-

Bituricensis frater, Bituricensi ac ejus posteris, Austriacus Archidux, Austriaco & nascituris ab illo, Sabaudia Duces. Ergo de presenti Regnans Andegavensis, non est Supremus & Absolutus Hispaniarum Dominator. Ergo nequibit pro libitu, Provinciam ex suis aliquam, vel in Indiis, vel in Europâ, ad Regale culmen evehere, ac coronare!

Sed ulterius progrediamur, si per Brandenburgicam Coronam, aliquid Prussiae deperiret. Si alienaretur, ac in manus exteras, & mortuas, ut ajunt, transferretur perpetuo Jus Supremum ad Prussiae Reipublicae reservatum, deficiente Familia Regnante: daretur utique locus exoptulandi. At ornare, At in meliorem Statum redigere. Auream parare Prussiae quam argenteam & Ducalem duntaxat acceperat, quis vitio vertat Serenissimo Brandenburgico? Aut quis tanto beneficiô, maleficium asserat rependendum?

Dicamus Poloni? Anne nobis perit Prussia Ducalis, quamdiu superstes erit Regnatricis Domus? quis inficiatur? Cur ergo de presenti, nos Rebus Prussiae immiscemus? Expectanda sunt fata. Non praeventenda. Non praecipienda. Si casus devolutionis aliquando contigerit; Viderint Posteris nostri, quid de Titulo Regio statuum? An solo Ducali rursus gaudendum, ac veteri duntaxat praerogativâ? Dummodo redeat ad nos Supremum ac pristinum Jus illibatum, quid ultra exigere possumus?

Si de possessione ac proprietate Provinciae ageretur, de aliquo certe ageretur. Sed illam quam Brandenburgicus occupat, nunquam habuimus. Neque de illa ambigi potest. Solum Supremum Dominandi Jus possedimus. Illudque nobis, si voluerint superari, expectandum.

Imo hoc ipsum Jus Supremum quod aliquando possederimus, atque aliquando possidere vi Devolutionis, queamus, Alberto Brandenburgico debemus, qui Supremus Prussiae suae, ac Independens Dominator, Fiduciarium se ac posteros, voluit Reipublicae; Summoque duntaxat illius Dominio, Pacis amore, in ipsius favorem renunciavit; quo deinde Respublica, Bydgostiensibus tabulis, sese abdicavit, donec familia Brandenburgica stabit.

Quid ergo nunc habemus, Poloni, quod Jure petere possimus à Brandenburgicis? quid ad nos attinet si clausam sibi Coronam imponant, aut servant apertam?

Renunciavit Hispania, vi Pactorum ad Pirenæos, ad Aquisgranum, Bredam, Neomagum, Riswicum, pluribus Provinciis, summo in posterum Jure à Gallo possidendis, ut Burgundiae, Artesiae, Flan-

Flandriæ parti, aliisque in Belgio. Renunciavit pariter Germania, In Monasteriensi, sive Westphalicâ Pace, Neomagensi, atque Riswicensi, Alsatia utriusque, Argentorato, Landavia, Ferrettâ, Sontgovia; Denique Batavis libertatem omnimodam, Supremumque Imperium cessit, non ita pridem, Hispaniarum Monarcha.

Ita est: An ergo Jure posset contraire ac mussitare Hispania atque Germania, si Rex Gallia se Regem Burgundia, atque Austrasia, nuncuparet? An sese murum ahæneum objecerunt Hispani, quando Batavi, novo sese titulo Altos atque Potentes Dominos appellavere?

Credite mihi Poloni. De nihilo profecto contendimus, dum re amissâ; & fortè nunquam rediturâ, de solo Titulo vocabuloque rixamur. Capuam perdidimus. De lanâ Caprinâ jurgamur; Jumento renunciavimus. De umbra Jumenti, vocamus ad Judicem. Quis non irrideat?

Nugas tandem abjiciamus quotquot ex adulta, generosa, & magnanima Polonorum gente sumus. De vocibus meris agitur, & an Regni appellari debeat aut Ducatus nomine deperdita nobis Prussia. Quid futilius, quid vanius, quam cum nominalibus, rem negligere; de Nomine Philosophari, ac digladiari.

Si de Regno acquirendo ageretur, dextro pugnaret Hercule, Marteq; Polonia fortis. Sed Aquila Polona non captat Muscas. Nec Elephas aut Leo venantur Mures. Muribus autem & Muscis minus sunt voces. Nil sunt nostræ Clamitationes.

Quam versus inopes Rerum, Nugæq; Canoræ. Non sic, non sic egerunt Hispania Reges Gothici, amissâ Hispaniâ, à Barbaris Africanis occupatâ, Regeque Roderico, Juliani Comitis perfidiâ, obtruncato. Deslerunt Hispani jacturam Regni. Dissimularunt erecta, Mauritano ac Lybico fastu, tot Regna, quot Provinciis, & ferè primariis Urbibus constabat Hispania Regnis inhiabant. De titulis recens invectis, licet ab intensissimis hostibus, solidi Amatores ac Sectatores strenui, generose ridebant. Imò gaudebant sapienter, plures sese Coronas aliquando, divinâ ope recepturos, unâ deperditâ.

Hos juverit gloriosius æmulari, quam insanum illum, malè Diadematum, & pessimè Capitatum Cæsarem, qui audito Romæ, à Barbaris captæ infortunio, ingemuit, ac terè contabuit, amissam existimans Gallinam, quam deperibat, Romæ nomine appellatam. Sed Urbem Orbis Dominam duntaxat periisse, salvam verò, atque incolumem, in tuto esse Gallinam, intelligens, exiliit lætabundus, & grates retulit Diis.

Regalia omnia exercet in sua Prussia Brandenburgicus. Et merito obmutescimus. Illi nempe sua, sine nobis, dudum fuit Provin-

C

ciæ

ciæ proprietas; & à nobis postmodùm impertita absolutè Imperand
Suprema potestas. Quapropter si vis Oculis, hærente faucibus linguâ
vidimus, audivimus, atque videmus, audimusque Brandeburgicum
Jura dantem Prutenis; De vita & morte, rebusque Nobilium æquè
ac popularium, inappellabiliter pronunciantem, tributa, imponen-
dem, Arces erigentem, munientem Urbes, armamentaria extruen-
tem & instruentem, Emporia ornantem, Commercia Celebrantem
cum exteris, toto Baltico Oceanoque, etiam apud Garamantas &
Indos, Liberrimo Jure Navigantem, & fortalitia possidentem, uno
verbo, se se de facto Regem suæ Prussiæ, qua patet terrâque Marique,
in omnibus re ipsa pro Majestate exhibentem, neque hiscere contra
hoc, ulla ratione possumus. Desiit quippe, nobis volentibus, Prussia
Poloniam adorare. Jam verò quis pudor, ne dicam quis furor est,
de Solo Titulo, de sola Sillabà REX, nil prorsus, Solidis rebus & Ju-
ribus addente, tantummodò excruciarî? An hoc est Romam ne-
gligere; De Gallina turbari.

Manus æquas veritati demùm datis, ut video, Cives! ingenuèq;
fatemini tot rationum incluetabile Robur. Sed unum & alterum
supereff solvendum objectum, & Argumentum, quod Ser^{mi} Bran-
deburgici Diademati videtur, faceffere negotium.

Non invidemus, aitis, Brandeburgico, Regis nomen, seu Sil-
labam Rex. Sed Regem Prussiæ appellari, quasi Prussias ambas, hoc
est suam & nostram teneret, hoc ferre non possumus. Addat ergo
diminuens istud, in Prussiâ Rex, vel distinctivum aliud, ut Prussiæ
Septentrionalis Rex; quod signat ac limitat Prussiam possessam à
Brandenburgico.

Hiccine est noster Achilles, Poloni! Umbra est, quam fugimus;
& in quam fugiendo impingimus. Enimverò telum quod torque-
mus in alienum pectus, in nostrum ipsissimum retorquemus.

Nonne Poloniæ Rex, appellatur Dux Prussiæ, sine ullo addito
diminuente, seu distinguente ac limitante? Et tamen non totam
Prussiam, sed solam Polonicam possidet. Vel ergo abstinentum erit
Nostris Regibus ab Indefinito seu illimitato hoc Titulo Prussiæ Dux.
Vel limitandus hâc voce, in Prussiâ, aut distinguendus addendo
Prussiæ Polonicæ Dux. Vel certè nulla talis limitatio Distinctioque
Tituli à Brandenburgicis exigenda.

Quid dicimus? An quadrat Responsio? An buccam claudit?
Sed quid novi Monstri peperit nostra Africa, quod nos teneat magis
in hoc vocabulo Rex Prussiæ, quam in prisco & usitato hæctenus à
Brandenburgicis Titulo, Prussiæ Dux? An magis illimitatum est di-
cere Prussiæ Rex? quam dicere Prussiæ Dux? An magis consuletur
cau-

cautelæ Prussiæ nostræ, ac Distinctioni à Brandenburgica? Nonne utrinque absuit verbo Invidia, aberitque de facto, dum semper & Polonus & Brandenburgicus hoc Titulo Indefinito Prussiæ Dux, utebatur & utitur.

Dolendum sanè est ità nobis iufausstè ingeniosos & acutos nos esse, ut in Guttulâ, in nihilò naufragia excogitemus ac vereamur; ut ad arenæ granum microscopio mirificè auctum, tanquam ad Scilleum scopulum, miserè allidamur; ut Lybicas fyrtes, in tricis ac micis reformidemus. Sufficiat ad delicatos animos plenè sedandos usus & consuetudo, non solùm nostræ, promiscui hæctenus, Prussiæ Tituli, sed etiam aliarum Gentium, apud quas videmus Gallos & Hispanos, Duces Burgundiæ appellari Britannos Francosq; Monarchas, Galliæ Reges dici, ac Lilia pleno gestare stemmate, Sabaudia, ut reliquos taceam, demùm ac Mantuæ Duces, Montisferrati Ducum nomine nuncupari ac Tesserà gentilitiâ frui.

Alter nodus & Rhodus hic est. Legibus Bydgoftiensibus tenetur Brandenburgicus, tot & tales armatorum suppetias ferre, laceffitis externo bello Polonis. En novum Achillem? Sed digito sternetur à puero. An ideò fiduciarius noster censerì debet Brandenburgicus? An ideò Supremus non erit in suâ Prussiâ Brandenburgicus? quem tamen ipsa Bydgoftiensia Pacta Supremum volumus, diximus?

Sed ipsa etiam Respublica nostra iisdem Legibus adstringi voluit, ad reciproca Brandenburgicis ferenda subsidia. An ideò desit Respublica nostra esse Supremâ! Quid ais Dialectica! An impari ratione, par est Conclusio!

An Supremi Principes per mutua fœdera, quibus scatet Europa, quæque in dies pullulant, quorum vi ad auxilia sibi invicem præstanda, fidem obligant, Clientelares ac fiduciarìos se sibi invicem reddunt? Seseque à Supremorum Albo expungunt?

An quia vociferamur, Poloni, in Comitiolis, atque Comitiiis, Rex esse desinet, Brandenburgicus? Sed neque nuces excutit ex Arbore vox. Nec glandes deponit annosa quercus atque procera, nisi fortis manus accedat, & pertica. Quantò minus ad Nostra disteria, Coronam deponet Brandenburgicus, quam fixit Capiti?

Extremo malo, non nisi extremâ occurret vi, læsa Majestas amicissimi Regis. Pro hæc, Provincias, opes, Arma, Vitam profunder, Socios, fœderatos potentissimos adhibebit, dubio procul. De famâ quippe agitur, famâ verò stant Reges & Regna. De Gloria agitur, quæ Regum est amor. Cui vitam, & Regna & omnia immolant. Agitur de Coronâ. Cui postponitur Caput.

A

A verbis itaque censeo abstinendum, in re tam gravi, Brandenburgicis, quam nobis est levis, nulliusque momenti, quorum Conatus sæpius irriti, tamen irritant; Et tæminas decent, non viros; minusve Polonos, factis & frameis assuetos, non verbis. Sed factis aut frameis, Diadema Brandenburgicum aggredi, præterquam quòd foret iniquum, hoc opus, hic labor! præsertim in hoc rerum Nostrarum Cardine.

Non impunè foditur gladio ignis. Neque Potentia provocatur & stimulatur. Novimus non deesse vires validissimas Brandenburgico, quibus Jura tueatur sua. Id vastæ florentesque docent Provinciæ; Conjuncti & conjurati pro Gloria Principis Populorum ac Procerum animi, Exercitus Instructissimi in promptu. Aerarium vigans. Arces munitæ, Armamentaria plena ac inferendo ferendoque bello paratissima.

Quæ omnia, utinam & nobis jaçtare daretur, intestinis dissidiis, & bello penè Civili laceratis. Sed absit, absit, ne contra amicum Regem, fœderatum & summè de nobis etiam recenter meritum, cogitemus de Armis, quorum Ars longa, experimentum fallax; Discrimen certum, Detrimenta verò certissima! Profecto duxerim, illum honoribus magis magisque in tam ardua rerum conditione, laborantem Reipublicæ devincire; atque Cæsari, Britanno Regi, Dano, Hollandis, Helvetis, Sabaudò Regio Duci, Magno Æthruriæ Duci, Moscoviæ Monarchæ, & aliis Summis Principibus adstipulari, qui novum illi Decus sunt gratulati, illudque, dubiò procul, vel viribus vel authoritate tuebuntur, si res tulerit, ac vindicabunt. Præsertim ac maximè, cùm Inviçtissimus Rex noster Augustus gloriosissimè Regnans, non sinè Gravissimo ac Sapientissimo Consilio, opportunum, imò necessarium duxerit, Literis Regiis, ac Legatione solenni, Denunciationi respondere Prusici Regem, præviâ Devolutionis cautelâ, cognoscere. Cui Regis Augusti factò refragari, neque Reipublicæ Suis Regibus addictissimæ decorum, neque apud Posteròs laudabile foret.



Deduct 317 H. Pruss 22

